



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**VRBIS|| HIEROSOLIMÆ|| QVEMADMODVM EA CHRISTI||  
tempore floruit, & suburbanorum eius brevis.||  
descriptio.||**

**Adrichem, Christiaan van  
Coloniae Agrippinae, 1585**

**VD16 A 298**

Loci Filiae Sion.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64394)

58 **LOCI MONTIS SION.**

*Hierō. ibid.*  
*3. Reg. 9. a.*  
*2. Par. 5. a.*  
*Iose 7 ant. 4.*  
*Breid. 12.*  
*Iul. a.*  
*Pasc. d. 184.*

Gabaon, collocavit, ac in eo arcam Domini maxima veneratione reposuit. constituitque sacerdotes & leuitas, qui iugiter per singulos dies, & vices suas coram arca Deo ministrarent. quæ annis quadranginta quatuor ibi mansit: donec à Salomone in templū transferreretur. In ibi & Dauid pro adulterio & cæde Vriæ agens pænitentiam, septem Psalmos, quos pænitentiales appellamus, composuisse dicitur. Vbi modò Indiani claustrum sibi fecerunt: in quo, ritu suo, Christo feruiunt.

25.

*Zac. 14. c.*

**TORCVLARIA REGIS.**  
 In quibus Regium vinum exprimebatur.

**SECUNDA PARS  
 VRBIS.**

26.

*Psal. 9. c.*  
*72. d.*  
*Zach. 9. b.*



**ILIA SION**, sic appellata, quòd è mōte Siō velu nasci videbatur; que & **CIVITAS INFERIOR** vocabatur, altera vrbis pars

LOCI FILIAE SION. 59

est: cuius frequens in sacra Scriptura & Iosepho fit mentio.

*Iose 6. bel. 6  
& alibi passim.*

LOCI FILIAE SION.

27.

**A**CRA MONS, in inferiori ciuitate olim eminens & vndique decliuus erat: cuius altitudinem postea Simon Machabæus, non intermisso per triennium neque die neque nocte populi labore, humiliorem fecit ac complanauit, vt solum templum omnib. in vrbe locis celsius emeretur.

*Iose. 13. ant.  
9 & 6 bell 6  
7. & 7. bell.  
13. 16.*

28.

**A**MPHITHEATRUM, id est, Circus speculatorius, totus vndique rotundus, (qualis aliquando octoginta hominum milia capere poterat) vbi populus gladiatorum & bestiarum pugnas spectabat, quem Herodes senior, primus omnium Hierosolymis in campo, sumptuoso opere conspicuum exædificauit. in quo ad spectatorum delectationem luctatores, & gladiatores pugnabant: vel leo-

*Ioseph. 15.  
ant. 10.*

## 60 LOCI FILIAE SION.

leones, pardi tauri vrsi, apri, lupi, aliæ-  
 ué bestix ferocitate eminentes, mo-  
 dò inter se, modò cum damnatis ho-  
 minibus committebantur. Vnde per-  
 multi capite damnati, aut in bellis ca-  
 pti, illic cum feris pugnando mortem  
 oppetere cogebantur. Quo tempore  
 Circus arena spargebatur, tum ne gla-  
 diatores diffluerent, tum, ne pugnan-  
 tes occisorum cruore fœdarentur, vel  
 ne cruor sparsus spectantibus esset hor-  
 rori.

## 29.

*Iosep 15. ant  
 14 & 18 ant  
 8. Itē 1 bell.  
 3. 4 16 & 6.  
 bell. 6. & ali  
 às ssepè.*

**A**NTONIA ARX firma  
 & munita valdè, à septentrio-  
 ne templo adiacens. quæ olim  
 ab Hyrcano Machabeo in ru-  
 pe quinquaginta cubitis alta, & vndi-  
 que abrupta, extructa, & Turris Baris  
 vocata est. Hanc Pontifices à Ma-  
 chabæis orti vsque ad Herodem inco-  
 luère: vbi in cella ad hoc ipsum stru-  
 cta, sacra Pontificis stola seruabatur,  
 præfecto arcis accedente ibi lucernam  
 quotidie. Herodes maior regnum a-  
 deptus cum hanc arcem oportuno lo-  
 co cohibendis ciuibus, ne quid rerum  
 noua-

## LOCI FILIAE SION. <sup>61</sup>

nouarum per seditionem molirētur, sitam esse | deprehenderet eam magno sumptu instaurauit: & intus Regia magnifica instar Palatij & ciuitatis formata, & per quatuor angulos quatuor turribus excelsis (quarum tres quinquaginta, quarta verò septuaginta cubitis eminebat) communiuit, vnde totum templum videri poterat: eamque in gratiam M. Antonij triumviri amici sui ANTONIAM denominauit. In qua Romani milites cum armis semper excubabant, obseruantes ne quid noui populus festis diebus in templo committeret. Et sic templum ciuitati, templo autem Antonia castrum erat.

### 30.

**A**RCHIVVM, hoc est, tabularium, vulgò Cancellaria. domus scilicet, in qua vrbis & ciuium acta, item chartæ publicæ ac creditorum rationes custodiebantur. quam seditiosi, fugientibus inde custodibus, incēderunt, vt cūcta creditorum documenta disperderēt. omnes.

*Iosep 2 bell.  
17 & 7 bell.  
13.*

## 62 LOCI FILIAE SION.

omnesque debitores sibi adiungerent.

## 31.

*Iose. 12.*

*ant. 6.*

*1. Mach. 1 d*

*Dan. 8. c. 11.*

*e. 12. d.*

*Iose 13 ant 9*

**A**RX ANTIOCHI Epiphanis, alta & valida quam post multorum ciuium caedem, vrbis & templi direptionem, pulcherrimorumque aedificiorum incensionem; in inferiori vrbe super Acram montem edificauit, ac firmis muris & turribus muniuit, eique Macedonicos milites praesidij loco imposuit, admixtis illis ex apostatis Iudaeis selectissimis quibusque: a quibus iuge sacrificium triennio est ablatum: ipsaque ciuitas annis viginti sex plurimum vexata fuit. Deinde vero Simon Machabaeus arcem hanc expugnauit & diruit.

## 32.

*Act. 4. a. 5.*

*d.*

*Iose. 6. bel. 6*

**C**ARCER CIVITATIS publicus, in quo Apostoli a Iudaeorum primoribus inclusi, noctu ab angelo educti sunt. hunc Iosepho Betiso vocare videtur.

COENA.

33.

**C**OENACVLVM ANGV- *Neem. 3.g.*  
 LL.ædita domus Angularis, vbi  
 publicæ fiebant cœnæ.

34.

**C**RYPTA subteranea, ab Anto- *Ioseph. 15.*  
 nia ducens in templum, quam *antiq. 14.*  
 fecit Herodes senior imponensei tur-  
 rim: vt per eam occultè posset intra-  
 re templum, si quid per tumultum  
 contra Regem vellet nouare populus  
 quæ etiamnum extat mirabilis & lata  
 sic quòd sexcèti equi in ea commodè *Breid. 14.*  
 locari possent. *Iul. 4.*

35.

**C**VRIA, Hebraicè Gafith di- *Iose 6 bel. 6.*  
 cta, quæ in inferiori vrbe anti- *& 7. bel. 13.*  
 quo ciuitatis muro coniuncta *Exod. 18. d.*  
 erat. in qua septuaginta Sena- *Hieron. 10. 3.*  
 tores & Iudices ordinarij, qui à Iudæis *epist. 25. ad*  
 Sanhedrim, Græcè Synedrium, Lati- *Fabiolam.*  
 nè autem Concilium seniorum & Se- *mans. 11.*  
 niores populi vocantur, Reipub- *Num. 11. c.*  
 licæ negocia curabant, iura dabant,  
 ambigua & grauiora, etiam alia-  
 rum

64 LOCI FILIAE SION.

*Deut. 17. b*

*Act. 4. b 5 g*

*Act. 6. d 7. g*

rum ciuitatum, iudicia definiebant, lites & controuersias dirimebant, & capitalia iudicia ferebant exceptis duntaxat difficultatibus, ambiguitatibus, & causis Diuinæ legis Iudaicæ-que religionis quas summus Pontifex & sacerdotes determinabant. In hoc Consistorio Apostoli examinati, flagris cæsi, & prædicare prohibiti ibant gaudentes à conspectu concilij, quòd digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Ibidem S. Stephanus coram cõcilio stans, facieque Angelica fulgens; intentis in cælu oculis, vidit cælos apertos, ac gloriam Dei & Iesum stantem à dextris Dei. vnde impetu eiectus extra ciuitatem, lapidatus est.

*Iose 2 bel 17*

36.

DOMVS ANANIAE Pontificis. quam tandem seditiosi inflammauerunt.

*Breid 26.*

*Sal: 10: 8.*

*ca: 6:*

*Iac. vitri*

*cap. 58.*

*VVilh. 11 be*

37.

DOMVS S. ANNAE auiaë CHRISTI, in qua, vnà cum Ioachim coniuge suo, cùm festa Hieroso-

LOCI FILIAE SION.

65

rosolymsi ageret, hospitabatur: vbi & vterque obiit. Hic B. Maria virgo concepta est: atque ibidem passionis Christi tempore mansit. Vbi postea pulchrum in honorem S. Annę ædificatum est templum. quo nunc Turcæ turpiter abutuntur.

*fac. 1. & 15.  
bell. fac. 26.  
Pasc. d. 197.*

38.

**D**OMVS DIVITIS EPVLONIS, in inferno, iuxta Euāgelicam historiam, sepulti: in qua ipsum habitasse fama à maioribus tradita ad nos peruenit. quæ alta muris, etiamnum Christianis peregrinis monstratur. Vnde constat Euangelium de diuite epulone & Lazaro hulceroso (cuius etiam nomen ibi exprimitur) non parabolam, sed rei gestæ esse historiam.

*Luc. 16. e.*

*Breid. 14.*

*Iul. a.*

*Sal. 10. 8. ca.*

*6.*

39.

**D**OMVS MESSA. cuius in quarto Regum volumine fit mentio.

*4. Reg. 11. a.*

40.

**D**OMVS NATHINAE EORVM

*Neem. 3. g.*

66 LOCI FILIAE SION.

ORVM, qui ligna & aquas in templo ministrabant.

41.

*Luc. 14. a.*

**D**OMVS PRINCIPIS Pharisaeorum, in qua Christus hydropticum suo tactu sanauit: atq; in conuiuio tùm suo hospiti, tùm inuitatis salutis monita dedit.

42.

*3. Reg. 7. a*

*10. c. d.*

*2. Par. 9. d e*

*Isai. 22. c.*

*Iose. 18. ant.*

*5. 6. 7.*

*Hier. 10. 3 e*

*pist. 33. ad*

*Suniam &*

*Fretelam.*

*Ecclesi. 2. a.*

**D**OMVS SALTVS LIBANI; longa centum, lata quinquaginta, alta triginta cubitis. quam Salomon splendide & opulētissime de polito marmore, lignis cedrinis, auro atque argento decoratis, ac desuper tecto plano cum deambulatorijs (vt & cætera domorum tecta in Palæstina fabricari solent) extruxit intus verò viuidis variarum arborum & plantarum picturis tā artificiosè ornauit, vt earum folia agitari quodammodo viderentur. plantauitque iuxta eam nemus & viridaria cuncti generis arboribus confita, fontibusque irrigua, necnon viuarua ac piscinas fodit, in quibus eum  
omnis

LOCI FILIAE SION. 67

omnis generis feras, aues & pisces continuisse probabile est. Erat autem domus hæc, domus epularum, & armamentarium, in quo arma bellica, item vnguenta, pigmenta, & aromata conferuabantur. quin & ducenta scuta aurea equitum, & trecete peltæ aureæ peditum, quæ fecit Salomon, in domo hac ab ipso reposita sunt. cuius etiam reliqua omnia vasa erant aurea. quod se Rex & nobiles serijs Reipublicæ negotijs peractis conferebant, atque epulis, lusibus, & obambulationibus animum oblectabant.

*Liran. in. 3.*

*Reg. 7. 4.*

43.

**D**OMVS SIMONIS Pharisæi, quæ adhuc ostenditur in qua Christus mensæ accumulans Magdalensæ peccatrici, iam pænitenti, ipsius pedes lacrymis riganti, capillis tergenti, osculanti, vngenti, multumque amanti, multa peccata remisit.

*Luc. 7. f.*

*Breid. 14.*

*Iul. a.*

*Salig. to. 8.*

*ca. 6.*

44.

**D**OMVS VERONICAE angularis. Hic Veronica line-

*Briden. 14.*

*Iul. a.*

*Sal. to. 8.**ca. 7.**Pasc. d. 210.**Bethl. in de-**script. locor.**passion. Chri-**sti. feria. 5.*

um capitis sui pepulum dedit Christo, quo faciem suam tergeret: cui Dominus faciei suae imaginem perfecte impressit, ei que in amoris sui pignus reddidit. Quod in hodiernum usque diem Christi facie insignitum, Romae in S. Petri Basilica, in Vaticano monte per Constantinum Magnum extructa, grandi honore asservatur: ac stans diebus populo ostenditur.

## 45.

*Iere. 39. b.*

**D**OMVS VVLGI. vbi iaculationibus se exercebant, & publica conuiuia celebrabant ac epulis, lusibus, & ambulationibus animum reficiebant.

## 46.

*Iose. 13. ant.**20. & i. bell.*

3.

**F**ORVM MAGNUM, quod in urbis medio, Antoniae arci adhaerebat. in quo Alexander Iudeorum rex & Pontifex octingentos Iudeos) vxoribus in conspectu ipforum, & liberis in conspectu etiam matrum, necatis) crucifixit: idque spectaculum ipse suis cum concubinis

LOCI FILIAE SION.

69

nis in Antonia arce epulans potansq;  
 prospectabat. propter quam crudeli-  
 tatem Crucida cognominatus est.  
 Eodem in foro Herodes maior cum  
 Parthis, Antigonum in regnum redu-  
 cere cognantibus, magno prælio con-  
 fluxit. Porro cum in obsessa per Ro-  
 manos Ierusalem iam fames totis re-  
 gnaret habenis, totasque domos ac fa-  
 milias depasceretur, & tecta plena es-  
 sent mulieribus exanimatis, atque in-  
 fantibus; viarum autem angusta seni-  
 bus mortuis: (quippe coria scutis de-  
 tracta, cinguli, calceamenta, & fœ-  
 num, matribus denique proprii filij  
 afsi, cibus erant) adolescentes ac iue-  
 nes turgidi, velut vmbrae mortuo-  
 rum, per hoc forum versabantur, &  
 ubi quem casus occupauerat, deci-  
 debant. Cumque superstites ob mul-  
 titudinem eos sepelire, in sepulcorum  
 verò foetorem ferre non possent, in  
 vrbis valles eos ex muro præcipita-  
 bant. Quas circumiens Titus ubi  
 plenas cadaueribus vidit, altamque  
 faniem tabefactis corporibus defluen-  
 tem, ingemuit: & extentis manibus  
 Deum testabatur, factum illud suum

*Iose. 14. ant.*

*22. Itē 1. bel*

*11.*

*Iose. 6. bell.*

*14. & 7.*

*bell. 7. & 8.*

E 3

non

70 LOCI FILIAE SION.

non esse. Contumaces enim Iudæi pacem sæpius oblatam respuerant.

47.

FORVM RERVM VENALIVM, quod in superiori inferioris ciuitatis parte situm erat: vbi pisces ac variæ merces vendebantur. Hoc in foro S. Iacobus maior, frater Ioannis, cum suo Spiculate, qui eum ad martyrium ducebat, primus Apostolorum ab Herode Agrippa capite truncatus, cum fanguine vitam profudit. In cuius honorem sibi postea insigne erectum est templum; quod nunc Iacobitæ Armeni inhabitant, atque in eo Christum suo more colunt. Idem hoc forum iubente Floro Præfide milites Romani diripuerunt, ac passim obuios trucidauerunt: atque in vniuersas infilientes domos, cunctos in ijs habitatores interfecerunt.

*Act. 12. a.*  
*Euseb. 2 hist*  
*eccl. 9.*  
*Nicep. 2. hi-*  
*stor. eccl. 12.*  
*Breid. 12 Iu*  
*lij. a.*  
*Sal. 10. 8. ca.*  
*4.*  
*Pasc. d. 181.*  
*Iosep. 11. ant*  
*2. & 2. bell.*  
*14. 15. 16.*

FORVM

LOCI FILIAE SION 71

48.

**F**ORVM SCRVTARIVM.  
vbi scruta, hoc est, attritæ vsu  
vestes, ac veteramenta omnifa-  
ria vendebantur.

*Neem. 3. 8.*

49.

**G**YMNASIVM, id est, schola  
gentilitatis. quam Iudæorum  
pseudopontifex Iesus, qui gen-  
tilium more Iason vocari ma-  
luit, alijsque apostatæ Iudæi, Antio-  
chi Epiphanijs permissu sub ipsius arce  
contra templum ædificauerunt, in qua  
populus leges & ritus gentium doce-  
batur, & iuuentus in Græcorum Phi-  
losophorum studijs ac disputationi-  
bus instituebatur: vbi & nudi atque  
oleo vncti in gymnycis luctationibus  
in bellicis certaminibus, ludisque sce-  
nicis se exercebant. Eodẽ in super loco  
dicti apostatæ EPHEBIAM, hoc est,  
prostibulum formosorum iuuenũ  
constituerunt, & pulcherrimos quos-  
que ephedorũ in lupanaribus pone-  
bãt, vbi turpia foedaq; cõtra naturam  
peccata exercebãtur. Quapropter mul-  
ti à Dei lege ad gẽtiles ritus, mores vicij

*1. Mach. 1. b  
& 2. Mach.  
4. b. 6.*

E 4 aq̄ue

aque defecerunt, venundati ut facerent malum: ita ut & quidam sacerdotum relicto templo Dei que cultu, palæstrica exercitia discerent. hinc etiam inter Iudæos diuersæ ortæ sunt secte, Pharisei nempe, Sadducei, Essæi, & cæt.

S<sup>o</sup>.

*Lira. in  
Neem. 3. 8.*

**H**ABITACVLA SACERDOTVM. quorum domus ab exteriori parte muro clauderentur: à parte autem anteriori habebant aspectum versus templum.

S<sup>i</sup>.

*4. Reg. 11. a.  
Ioseph. 20.  
antiqui. 15.*

**H**ABITACVLVM SCVTARIO RVM, antè occidentiam templi porticum extructum ubi primò Iudæi, postea milites Romani in festiuitatibus stationes habebant ad templi custodiã.

S<sup>2</sup>.

*Iose. 15. ant.  
10. & 17.  
ant. 9. 10. 13.  
14.*

**H**IPPODROMVS, hoc est, Circus oblongus muris septus, qui contra meridionalem regionem templi situs erat, in quo

LOCI FILIAE SION.

73

quo equi cursu, agilitate, & velocitate  
exercebantur: & athletæ spectante  
populo cursu Pedestri, equorum, bi-  
garum, trigarum, quadrigarum,  
hastiludio, aliaue dimicatione certa-  
bant. vbi Herodes rex in Augusti  
Cæsaris honorem quinquennale cer-  
tamen instituit, propositis victoribus  
magnis præmijs. Idem moriturus è to-  
ta ditione sua cuiusque vici nobilio-  
res Iudæorum, minaci edicto pœnam  
capitis intentante non parentibus,  
conuocatos, in hoc circo fecit conclu-  
di, vt post mortem suam omnibus il-  
lis ibi occisis, etiam inuita omnes Iu-  
dæa, omnisque domus illi illacrijma-  
ret.

Item. 1.  
bell. 21. &  
2. bell. 2.

§ 3.

**M**ONS MORIA, qui alibi  
terra visionis, & mons templi,  
atq; mons filiæ Sion dicitur,  
orientali ciuitatis muro pro-  
pè adiacens, excelsus, saxofus, & vndi-  
que præceps atque decliuiserat. In hoc  
monte Abraham immolans filium  
suum Isaac, loco eius arietem corni-  
bus inter vepres hærentem obtulit.  
Cuius rei imago (vt hoc obiter contra  
nostri

Gen 22. 4.  
Mich. 3. d.  
1 Mach. 13 g  
16. d  
Isa. 10. g. 16 a  
Iosep 15 ant  
14 et 6 bel 6  
Hierony. in  
Ge 22. & in  
2. Par. 3  
citatur a cõ-  
cil. nicen. 2.  
act. 4.

nostri temporis imaginum ofores  
annotem (etiam tempore Gregorij  
Nysseni in usu fuit. De hac enim ima-  
gine, in oratione pathetica de pictura  
sic ait: vidi sepius inscriptionis imagi-  
nem, & sine lacrimis transire non po-  
tui, cum tam efficaciter ob oculos po-  
neret historiam. Hunc ipsum motem

*i. Par. 21. c.*

*Iose 7 ant 13*

*2. Par. 3. a.*

*36. d.*

David ab Orna Iebusæo sexcentis si-  
clis auri emit: & extracto in area eius  
altari, holocaustū Deo obtulit, quod  
ignis è cælo consumpsit. Eodem in  
monte postea Salomon templum Do-  
mino, magnitudine & pulchritudine  
excellentissimum ædificauit. Quod  
post annos quadringentos quadra-  
ginta & vnum à Nabuchodonosor de-  
structum, & septuaginta annis desola-  
tum, Zorobabel restaurauit. Idem  
post annos quingentos octoginta sex  
à Tito demolitum, ac plusquam tre-  
centis annis desolatum, eodem in mō-  
te, multum tamen per Romanos com-  
planato, tandem Christiani reedifica-  
uerunt. Quod postea à Saracenis, &  
iterum à Christianis, rursūmq̄ à Sa-  
racenis occupatum, modo à Turcis  
possidetur.

*Broc iti 6. b*

*Sal. to. 8.*

*cap. a.*

LOCI FILIAE SION

75

S 4.

**M**VRVS PRIMVS, qui & antiquus dicitur, tū propter valles imminentemq; his de super collem, in quo firmissimè Dauidis & Salomonis, aliorumq; regum largissimis impensis operi in sumptis, structus erat, tum etiam propter sexaginta turres, in quas diuidebatur, validus & robustus erat valdè.

*Iose. 6. bel. 6  
7 & c.*

S 5.

**O**PHEL, quam Iosephus Ophlā nominat, erat turris enormi altitudine quasi nubi. cap. inferēs, atque ARX munita, firmo muro cincta, templo propinqua extra murum tamen, qui habitationē sacerdotū claudebat. In huius muro Ioatham rex multa construxit. Atque Manasses eousq; vrbis muros reparauit. In hac habitabāt Nathineī. In hanc fugiens Manahemus tyrannus, captus est & occisus. Hāc tandem Titi milites combusserunt.

*2 Par. 27.  
b. 33. c.  
Neem. 3. f.  
11. c.  
Lira. in Ne-  
em. 3.  
Iose 2. bel 18  
& 6. bel. 6. 7  
& 7. bell. 13*

PALA

1. Mach. 13.  
g. Ios. 17. at.  
14. & 20.  
ant. 15. Itē  
2. bell. 2. 16  
17. & 7. bel.  
15.

**P**ALATIVM MACHABAEORVM, in præcelso loco ad occidentem templi ab eis ædificatum. ex quo urbem, & quæ in ea fiebant cōtemplari volentibus, pulcherrimus & delectabilis patebat prospectus. Quod postcā Agrippa rex insigni amplitudine in Aulā Regiam sibi extruxit : vndè è suo triclinio quicquid in templo ageretur, spectabat. Quamobrem Iudæorum primates excelsum parietem ædificauerunt supra exedram templi interioris, ad Solē occiduum sitam, qui Regis prospectum impediēbat. Id indignè tulit tam Rex Agrippa, quàm Festus provinciæ Præses : qui etiam præcepit eis parietem diruere. At illi rogauerunt, vt liceret sibi legatos ea de re ad Nerōnem Imperatorem mittere, dicentes se non posse viuere, si quid demoliretur de templi ædificijs. Quo impetrato, miserunt Ismaelem summum Pontificem, & Helchiam gazophylacem, simul & decem de suis primatibus. Nero autem, vxore sua Poppea pia femina

na

## LOCI FILIAE SION

77

na pro Iudæis deprecante, & veniam gesti operis condonauit, & parietem sic manere permisit.

S7.

**P**ALATIVM PILATI, & Præsidum Romanorum, quod ab aquilone Xyſto & Antoniaæ adhærens, omnibus ciuitatis ædibus multò amplius, pulchrius, & eminentius erat: & ad minus viginti octo marmoreis gradibus ascendebatur. Hic cum Christus à Principibus populoque Iudaico, quòd populum peruerteret, tributa dari Cæsari prohiberet, se Christum Regem diceret, quòdque seditiosus esset, falsò accusaretur, ac crucifigendus, postularetur; huiusmodi sententiæ forma, vt ex vetustis annalibus prolatum inuenimus, à Pilato ad virgas condemnatus est: *Iesum Nazarenum virum seditiosum, & Mosaicæ legis contemptorem, per pontifices & principes suæ gentis accusatum; expoliare, ligare, & virgis cedere. I licitor, expedi virgas.* Quapropter à militibus Pilati in atrium Prætorij ductus, coram vniuersa cohorte est nudatus, ad colum-

*Psal 37.d.*

*& 72. b.*

*Isa: 1. b 50 c*

*53. b. 63. a.*

*Mat. 27.*

*Mar. 15. a.*

*LUC. 23. a.*

*10 18. e. 19. a*

*Breid. 21 Iul*

*Sal. to. 8. ca.*

*7. Pasc. d.*

*98. Beth.*

*ser. 4.*

## 78 LOCI FILIAE SION.

lumnam ligatus, & crudelissimè flagris verberatus, totoque corpore vulneratus ac laceratus. Deinde chlamyde purpurea circumdatus, spinis dirè coronatus, arundine in dextra data, irrisoriè vt Rex salutatus, & genu ante eum flexo adoratus, varijs modis illusus, consputus, genis vellicatus, a lapidibus cæsus, ac super coronatum fauciumque caput arundine percussus. Quo loco in tantarum pænarum Christi venerationem, speciosum postea à Christianis extructum fuit templum. Nunc autem habitat ibi Præses, qui Turcæ nomine Hierosolymis dominatur.

Prædicti domus Pilati gradus Romanam postmodum translata, etiam nunc sunt pro foribus templi S. Iohannis Lateranensis, in Cælio monte à Constantino Magno ædificati, atque à Romanis Scalæ sanctæ appellantur, locusque in eis olim Christi sanguine conspersus, cancellis est opertus. & quia Christus tempore passionis per eas bis ascendit, magna animi pietate viri ac mulieres flexis genibus easdem assiduè ascendunt.

PALA.

58.

**P**ALATIVM REGINAE. quod Salomon propè palatium suum ex pretiosis ac politis lapidibus pro vxoris suæ Pharaonis filiæ, habitatione heroicè ædificauit.

3. Reg. 7. b.  
9. d.  
2. Paral. 8. c.  
Iose. 8. ant. 5

59.

**P**ALATIVM SALOMONIS, magnum & pulchrum nimis. quod in parte australi montis Morie pro habitatione sua è candido marmore & lignis cedrinis, multis columnis suffultum, magnificè sumptuosissimè que tredecim annis ædificauit: ac præterquam quod undique admirabili auri atque argenti splendore exornauit, eius quoque vniuersa vasa fecit aurea. Eodè in loco postea Christiani reges Ierusalè palatiū suū habuerūt atq; ibidè ordo militiæ templi initium sumpsit.

3. Reg. 9. a.  
10. d.  
2. Par. 8. a. 9  
e.  
Ios. 8. ant. 5  
Broc. itin. 6  
b.  
Vilhel. 12.  
bell. sac. 7.  
Vitriac. c.  
65.

60.

**P**ISANVM CASTRVM, validis fossis & turribus cinctum. quod in occidua ciuitatis parte à Christianis Pisarū Italiæ oppidi incolis, tempore quo terræ sanctæ tenebāt dominiū, cō

Sal. 10. 7. c. 7

structum est. vbi primò Pisani, deinde Saraceni, nunc verò Turcæ à terræ sanctæ peregrinis sacrilegum accipiūt tributum.

## 61.

*2. Reg. 20. a*

*2. Par. 32. a*

*g.*

*Ecc. 48. c.*

*Broc. itin. 6.*

*b.*

**P**ISCINA INTERIOR, grandis, quam Ezechias rex fecit in medio ciuitatis ad aquilonem templi. Fontis enim huius aquas è superiori fonte Gion per subterraneos canales introduxit in urbē, & fecit eas scaturire in piscina hac: edificauitq; ed eam puteum, vt totam irrigaret ciuitatem. ne populus in obsidione positus aquæ laboraret penuria.

## 62.

*Ioan. 5. a.*

*Broc. itin.*

*6. b.*

**P**ISCINA, quæ vocatur Græcè PROBatica, hoc est, ouina seu pecualis, eò quòd oues, aliæque decudes litandæ, in ea lauebantur: Hebraicè autem Bethesda, (corruptè Bethsaida) id est, domus effusionis, quòd aquæ pluuiæ ad eam confluebant, sita inter portam vallis & templum, ampla & præcipua erat piscina totius vrbis, quinque porticus

LOCI FILIAE SION.

81

cus habens. quam Rex Salomon fecit pro ministerio templi, atque hinc à Iosepho stagnum Salomonis nominatur: in hac enim piscina Nathinæi lauabant hostias, quas tradebant sacerdotibus in templo offerendas. Huius aqua certis temporibus ab Angelo Domini mouebatur, & qui post eius motum primus descēdebat in eam; à quacunq; detinebatur infirmitate, sanus fiebat. ideòque in porticibus eius iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. ex quibus Christus sanauit hominem qui triginta octo annos languerat. Tempore Hieronymi ostendebatur gemini lacus quorum vnus hibernis pluuijs solebat impleri: alter mirum in modum rubens, quasi cruentis aquis, antiqui in se operis signa testabatur.

Sal. 10. 8. c.

h. 6

ose. 6. bel. 6

Ioan. 5. 4.

Pasc. d. 192.

Hie. to. 3 de

loc. he. lit. B

63.

**P**ISCINA VETVS. vnà cum amne qui ex eo per totam ciuitatem decurrens in torrentem Cedron defluit.

Isai. 22. 6.

ose. 7. bell.

24.

F

PONS

64.

*Iose. 14. ant.  
8. & 15. ant.  
14. & 1.  
bell. 5.  
Item 2. bell.  
15 16. & 7.  
bell. 6. 13.*

**P**ONS & Porticus cum portis, per quem è Xysto & ab Antonia trans vallem Cedron patebat accessus in templum. quem primò fautores Aristoboli contra Pompeium: postea seditiosi contra Florù, ne per Antoniam templum occuparetur interciderunt.

65.

*Neem. 12. c.*

**P**ORTA CVSTODIAE. sic dicta, quòd aliqui Regis stipatores, Rege templum ingresso, custodiam ibi agerent.

66.

*Neem. 3. g.  
Lira. ibidem  
& in Ierem.  
31. g.*

**P**ORTA EQVORVM. sic nominata, quòd homines ad illum vsque locum equitare poterant: sed inde dimissis equis, in templum pedites procedebant. à quo loco incipiebant Habitacula sacerdotum.

67.

*Iose. 6. bel. 6*

**P**ORTA ESSENVORVM. quæ ab Essenis nomen habes, in antiquo ciuitatis muro sita, erat

P O R T A

68.

**P**ORTA PRIOR. cuius Zacharias mentionem facit.

*Zach. 14. b.*

69.

**P**ORTICVS COLUMNARVM, antè Palatium Salomonis sita, quæ quinquaginta cubitis longa, riginta verò cubitis lata erat, & validis suffulta colūnis: in qua Salomō iudicia cōmunia tenebat

*3. Reg. 7. a.*

*Lira. ibid.*

70.

**P**ROBATICA, hoc est, FORVM PECVARIVM, vbi oues, boues, aliæq; pecudes sacrificandæ, sub dio aut in macello venales erant.

*Ioan. 5. a.*

*Aug. ibid.*

71.

**R**EGIA BERNICES Reginae, sororis Regis Agrippæ, quæ cum fratre D. Paulum Cesareæ coram Festo perotantem audiuit. & postea Hierosolymis vota Deo soluens, nudipes ante tribunal coram Floro in ciues sæuiente, frustra pro eis deprecata est.

*Actor. 25. f.*

*26. g.*

*Iosep. 2. bel.*

*15. 16. 17.*

F 2

RE

72.

*Iose. 5. bel. 9*

**R**EGIA GRAPTE cognata Izatæ regis Adiabenorū, quam ipsa sibi ædificauit. In qua postea Ioannes dux seditionum degens, suas ibi pecunias & tyrannidis spolia deposuit.

73.

*Ios. 20 ant. 2**& 6. bel. 7.**& 7 bell. 13.**Euseb. 2. hi**stor. eccl. 12**Orosius li. 7.**cap. 6.**Act. 11. d.*

**R**EGIA HELENÆ, quæ in Acræ medio eminebat. Hæc Adiabenorū, gentis ultra Euphratem habitantis, existens Regina, à gentilismo ad Iudæorum religionem conuersa, Hierosolymam habitatum commigrauit. vbi Christiana facta, cum magna illa fames (quam Agabus futuram prædixerat) sub Claudio Cæsare in vniuerso terrarum Orbe, maxime verò in Iudæa vigeret, suis impensis magnam frumenti vim ex Aegypto delatam, Hierosolymæ egenis distribuit.

74.

*Ios. 6. bel. 7.*

**R**EGIA MONOBAZI regis Adiabenorū, filij Helenæ, quæ in orientali ciuitatis parte sita erat

TEM.